

prædicarent et Sacramenta administrarent fidelibus illarum minorum Ecclesiarum; quique fideles mediantibus sacris Ministris ab Episcopo missis, dicebantur cum eodem Episcopo communicare. Sacri autem Ministri cum semper iidem destinarentur iisdem Ecclesiis, dicti sunt ministri seu sacerdotes earundem ecclesiarum; immo Cardinales earundem appellabantur, et Ecclesiæ appellatæ sunt *tituli*. Quare cum hæ Ecclesiæ auferentur, dicebantur auferi tituli Clericorum. Quæ ecclesiæ in similitudinem Ecclesiæ Cathedralis inceperunt habere plures Clericos et ministros, qui vivebant et sustentabantur ab iisdem ecclesiis. Quare Clerici dicebantur de titulo talis vel talis Ecclesiæ, eo quod in Clerum ejusdem adsciti erant. Et qui nulli Ecclesiæ adscripti erant, dicebantur vagi et acephali, quique difficile ordinabantur, sive quia reputabantur inutiles, sive quia congrua ad vivendum sustentatione carebant.

43. Quod vero prius exceptio rara fuit, incepit frequentius contingere, ita ut turbæ Clericorum vagorum auferentur in dedecus status ecclesiastici. Artibus enim alienis a conditione Clericali, vel negotiationi studebant. Quare in Conc. Lateran. 3. sub Alexandro III. constitutum est, ceu refertur *in c. 4. de Præb. ut Presbyteri vel Diaconi ordinati absque titulo Episcopi expensis alerentur, donec de Ecclesia providerentur, nisi de paternis bonis haberent unde viverent. Quam dispositionem Innoc. III. ad Subdiaconos extendit, quemadmodum videre est in c. 16. eod. tit.* Porro mens Patrum Lateranensium erat ut vetus disciplina iterum in usum revocaretur, et Clerici non ordinarentur nisi in ministerium alicujus Ecclesiæ ex cujus bonis alerentur. Attamen verba Concilii ita accepta sunt ut novus titulus s. Ordinationis induceretur, titulus nempe patrimonii domestici, idest paternorum bonorum. Qui titulus admittebatur cum Clericus Ecclesiæ necessarius vel utilis erat, et simul vel nullum aderat, vel insufficientis beneficium in eadem Ecclesia.

44. *Conc. Trid. in c. 2. sess. 21. De Ref.* hanc disciplinam melius determinavit. Statuit scilicet ut titulus ordinarius s. Ordinationis esset beneficium, nec quis deinceps Clericus sæcularis, quamvis alias idoneus, ad sacros Ordines promoveretur, nisi prius legitime constaret eum possidere pacifice beneficium ecclesiasticum ad honestam sustentationem sufficiens. Voluit insuper ut ex titulo patrimonii vel pensionis non assumerentur nisi illi quos Episcopus judicaverit assumendos esse pro necessitate vel utilitate Ecclesiæ suæ.

45. Ne vero hæc sufficientia sub incerta dispositione juris remaneret, inducta est generatim taxa synodalis, seu taxa diocesana, quæ appellata est congrua bonorum vel fructuum portio ad sacros Ordines suscipiendos, quæque proinde titulum constituere dicitur s. Ordinationis. Quod si beneficium ad hanc taxam non pertingat, idest per se non sit sufficiens, potest suppleri per patrimonium vel pensionem. S. Congr. Conc. diei 12. Mart. 1718. Ceterum in detrahendis oneribus pro taxa synodali determinanda, remissum est arbitrio Episcopi, utrum detrahi debeant vel non onera Missarum. S. Cong. C. in causa Amerina 17. Julii 1723. et alias diei 3. Aug. 1822. *Bened. XIV. Syn. Diœc. L. 12. c. 9.* Verum ad fraudis suspicionem removendam statuit Trid. bona patrimonii sui ecclesiastici nec extinguere aut alienare aut remittere Clericum posse sine Episcopi licentia, et nonnisi constet Clericum provisum fuisse de beneficio sufficienti, aut aliunde habere unde vivere possit. Nec fictitii patrimonii dispositio sustinetur, nec pariter admittitur pactum seu conventio qua Clericus qui recepit bona ad constituendum patrimonium sese obligat ad restituendos vel donandos fructus bonorum patrimonii illi qui eadem bona in patrimonium concessit. Scilicet hoc pactum non tenet s. Cong. C. die 11. Maji 1599 et die 14. Maji 1671. *Bened. XIV. Inst. Eccles. 26. n. 15.* Porro constitutio patrimonii laicalis fieri debet ita ut clericus tutus sit in possessione ususfructus bonorum adsignatorum, ne privatus fructibus patrimonii sui mendicare cogatur aut artibus vel negotiis operam dare quæ a sacris canonibus reprobantur. Hinc *Trid. in cit. c. 2. sess. 21. de Ref.* prohibet ne Clericus ex titulo patrimonii promoveatur nisi constet patrimonium revera a clerico obtineri. Hac de re conferri potest *cit. Inst. 26. Bened. XIV.*

46. Hæc vero de Clericis sæcularibus dicta sunt; quid vero de Regularibus? Clerici sæculares ab antiqua disciplina mancipabantur Ecclesiis ac ab Ecclesia recipiebant ea quæ requirebantur ad honestam sustentationem; deinde tractu temporis institutis distinctis beneficiis, Clerici sæculares beneficium suum proprium in Ecclesia sortiebantur. Clerici autem Religiosi beneficium ab Ecclesia non recipiebant ob votum paupertatis, sed tamen ex quasi contractu cum Religione cui mancipabantur, ab eadem recipiebant sustentationem convenientem statui proprio. Quare vi professionis religiosæ qua et renunciatio fiebat temporalibus bonis, et mancipatio simul religioso statui, Clericus Regularis jus acquirebat

ad propriam sustentationem. Quare per professionem religiosam consultum fuit convenienti statui Regularium illorum qui Ordines suscipiebant. Unde titulus specialis inductus fuit pro s. Ordinatione Clericorum in ordinibus regularibus. Titulus hujusmodi ob renunciationem factam bonis temporalibus, dictus est titulus *paupertatis*. Huic praxi nihil detraxit jus commune Decretalium et Tridentini *in c. 2. sess. 21. de Ref.* nam de Regularibus non loquuntur.

47. Ut titulus hic religiosæ paupertatis locum habeat, requiritur perpetua mancipatio viri in religiosa familia. Necesse scilicet est, ut a Religione ordinando in perpetuum tuta reddatur sustentatio; secus periculum adesse posset ne Clericus major vel mendicare victum vel turpibus negotiis dare operam cogere. Quare ad constituendum titulum professio votorum solemnium necessaria est. Hinc Novitii non possunt promoveri ad sacros Ordines nisi habeant titulum beneficii vel patrimonii vel pensionis. Qui tituli requiruntur etiam pro religiosis qui profiteantur in Religione quæ licet probata et recepta ab Ecclesia sit, tamen non habet vota solemnia. Ita decrevit s. Pius V. in Const. quæ incipit '*Rom. Pontifex*' edita pridie idus Octobris an. 1568. Hæc dispositio renovata est in Const. *Apostolicæ Sedis* in qua inter suspensiones latæ sententiæ Rom. Pontifici reservatas sub n. 4. legitur suspensio per annum a collatione Ordinum inflicta Ordinanti, qui excepto casu legitimi privilegii Ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam Religioso nondum professo. Quare cit. Constitutio S. Pii V. servanda est etiam in omnibus religionibus approbatis cum votis solemnibus quoad novitios qui licet emiserint vota simplicia, tamen nondum emiserunt solemnia, quæ ex dispositione Summi Pont. Pii IX. de qua in Lib. 3. emitti nequeunt nisi post triennium ab editis votis simplicibus. Ita quæstionem propositam resolvit idem Sum. Pontifex die 20. Januarii 1860.

48. Ex peculiari autem Const. Gregorii XIV. '*Ecclesiæ catholicæ*' excepti sunt Religiosi Soc. Jesu qui post emissionem trium votorum simplicium possunt ad sacros Ordines promoveri. Hoc privilegium et aliæ religiosæ familiæ fuerunt consecutæ. Ne autem religiosus post ordines sacros susceptos ex familia regulari dimissus cogatur mendicare vel artes minus convenientes exercere, tradunt Doctores teneri Prælatos eum providere de honesta susten-

tatione donec canonicum titulum obtineat, prout in specie de religiosis Soc. Jesu respondisse Sixtum V. refert *Barbosa De Off. et Pot. Epis. par. 2. alleg. 19. n. 7.* — Tandem cum Missiones ad fidem propagandam statutæ sint ad instar Diocesium ita ut sacri ministri alantur ex ipsa Missione, inductus est novus titulus s. Ordinationis idest titulus *Missionis*. Urbanus vero VIII. Alumnis collegii de Propag. Fide die 18. Maj. 1638. et Alumnis Seminarii Pragensis die 13. Martii 1640. concessit privilegium ut ordinari possent ad titulum missionis.

49. Quinta qualitas Ordinationis est ut persona idonea assumatur. Hinc indigni repelluntur. Indigni autem censentur non solum qui aliquo impedimento irregularitatis detinentur, et sufficientis scientiæ defectu laborant; sed etiam qui bonæ vitæ et morum testimonio non commendantur. Hinc quæstio proponitur: an Episcopus qui ex privata scientia aliquem videat indignum, licet publice appareat dignus, possit eidem Ordines denegare? Juxta veterem Sacrorum Canonum disciplinam Clerici sæculares non poterant repelli a susceptione superiorum Ordinum nisi ex causa manifesta et probata in foro externo *c. 4. h. t.* Hinc privata scientia Episcopo satis non erat ut aliquem exterius et publice idoneum ab ordinibus recipiendis arceret. Clerici vero regulares ob votum obedientiæ poterant excludi ab Ordinibus ex causa nota superiori *c. 5. h. t.*

50. Verum nova dispositio facta est a Conc. Tridentino. Nam *sess. 14. c. 1. de Ref.* statuit Concilium, posse Ordinarium arcere aliquem ab ascensu ad sacros Ordines vel suspendere ab exercitio ordinum susceptorum ex causa sibi nota, etiam ob crimen occultum et extra judicialiter cognitum. Immo virtute prædicti decreti Episcopus non tenetur Clerico manifestare causam qua motus denegavit ascensum ad Ordines; nec ipsi Clerico competit appellatio, sed solum recursus ad Rom. Pontificem; quemadmodum declaravit *S. Congr. Conc.* die 21. April 1668. in responsione Archiepiscopo Remensi data. Quare inducta interdictio et suspensio Ordinum, quæ dicitur ex informata conscientia. — Quæritur a Doctoribus an Conc. Tridentinum jus vetus voluerit corrigere vel solummodo ampliare. Jus vetus in *cap. 4. h. t.* statuerat pro Clericis sæcularibus non posse illos repelli ex crimine occulto ab ordinibus recipiendis, vel a receptis exercendis, sed imponendam esse pœnitentiam; in *cap. vero 5.* pro Regularibus definiverat posse

repelli ex voluntate Superioris ob crimen etiam occultum. Duplex ergo quodammodo dabatur principium in *capp. 4. et 5.* In cap. 4. valebat principium 'Ecclesia de internis non iudicat, sed more paterno imponit pœnitentiam et emendationem studet obtinere'. In cap. vero 5. hoc aliud principium proponitur 'Ecclesia ex sufficienti sed privata scientia occulta crimina punit in Regularibus'. Ratio est quia vir religiosus præter vinculo generale quum fideles ecclesiasticis personis obligantur, ipse vinculo obedientiæ promissæ devincitur. Sed semper verum est Ecclesiam, utique ex speciali ratione, pœnas statuere posse ob occultum crimen, quod nempe ad forum externum deduci nequeat.

51. Quibus positis dici potest Tridentinam Synodum in cit. loco correxisse utique cap. 4. quoad Clericos sæculares; sed non correxisse absolute jus antiquum, et potius ampliasset dispositionem cap. 5. eam clericis sæcularibus applicando ob quandam similitudinem quæ intercedit inter subditum regularem et superiorem et inter Clericum et Episcopum. Id vero suadet ex eo quod correctio et immutatio juris in genere est odiosa, nec præsumitur sed probari debet. Probari autem non potest in nostro casu correctio, quia Patres Tridentini non declarant mentem suam fuisse ut vetus jus immutaretur. Quare dicendum est hodierno jure valere pro Clericis sæcularibus, id quod jure Decretalium servabatur pro Clericis regularibus. Quod idem est ac si dicamus pro Clericis sæcularibus praxim fuisse immutatam solummodo quoad crimina occulta, et quoad hæc Episcopum posse procedere ex informata conscientia; quoad vero publica procedere debere ad normam juris, id est in forma judiciali. Hinc quoad hæc publica dabitur appellatio ad tribunal superius; quoad occulta dabitur recursus ad s. Sedem, cui interroganti tenebitur Episcopus rationem exponere et causam explicare indictæ vel suspensionis vel rejectionis ab Ordinibus. *S. Congr. Conc. in Vercellensi diei 12. Martii an. 1643. et Bened. XIV. De Syn. Diœc. Lib. 12. c. 8.*

52. Ut plenior hujus tituli tractatio reddatur, summario modo describimus pœnas contra male Ordinantes et male Ordinatos. — Delinquere potest Episcopus in ordinum collatione quinque modis: 1º. si ordines conferat personæ nondum in ætate legitima constitutæ; 2º. si ordinet subditum alienum absque litteris dimissorialibus; 3º. si ordinet Clericum in Ordinibus majoribus absque titulo; 4º. si Ordines conferat extra tempora canonica; et 5º. si interstitia non

servet. Ad 1^m. cum ætas fixa etiam ab antiquo jure fuerit statuta pro Ordinibus majoribus, si Episcopus scienter ordinaverit aliquem ante ætatem legitimam in majoribus, subjicitur pœnæ suspensionis a collatione ordinum generatim. Quæ pœna est ferendæ sententiæ. Utrumque constat ex *c. 14. h. t.*

53. Ad 2^m. Ex *c. 2. h. t. in 6º.* qui scienter vel affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento ordinaverit Clericum alienæ Diœceseos sine licentia superioris seu Episcopi proprii Clerici ipsius, ipso facto suspenditur per annum a collatione Ordinum. Quam pœnam renovavit Conc. Tridentinum *sess. 23. c. 8. de Ref.* per hæc verba: 'Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur . . . si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum sit suspensus'. Hæc suspensio agnita est et confirmata a Sum. Pontifice Pio IX. et reservata s. Sedi in *Const. 'Apostolicæ Sedis'* edita quarto Idus Octobris an. 1869. et extensa ad Ordinarios ordinantes proprios subditos absque testimonialibus litteris Ordinarii illius loci in quo tanto tempore morati sunt ut contrahere poterint aliquod impedimentum. Hæc insuper suspensio potest augeri a Romano Pontifice pro modo culpæ. Ceu expresse tradit Innocentius XII. in cit. *Const. 'Speculatores'*. Qua in re notabilis est dispositio *cap. 2. h. t. in 6º.* ubi Gregorius X. concessit Clericis Diœceseos Episcopi suspensi in pœnam collatorum Ordinum extraneis, ut, cognita suspensione proprii Episcopi, eo irrequisito possint Ordines recipere ab aliis vicinis Episcopis; quibus tamen probare debent factum suspensionis proprii Episcopi: *arg. c. 19. de Hæret. n. 6º.* Id autem quod de Episcopis dictum est, dici etiam potest de Abbatibus et inferioribus Prælatibus qui minores ordines conferre possunt.

54. 3º. Delinquere potest Episcopus scienter alicui conferens ordines majores absque congruo titulo; et hoc in casu tenetur eidem necessaria sustentationi subministrare, quoadusque non consequatur sufficiens beneficium, vel nisi habeat unde honeste vivere possit. *Capp. 4. et 16. de Præb.* Hoc onus alendi Clericum male ordinatum censetur veluti inhærens mensæ episcopali. Hinc, ne mortuo Episcopo ordinante Clericus, contra decus status clericalis, mendicare cogatur, Capitulum, sede vacante, et novus Episcopus tenentur honestam Clerico illi sustentationem subministrare. Nec valet in hypothesi celebre principium: *Leg. unic. Cod. Ne ex delicto defuncti successorem non posse conveniri ob culpam ante-*

cessoris; nam 1^o. culpa in casu non tantum fuit Episcopi sed etiam Ecclesiæ quæ non restitit Episcopo can. *Quapropter c. 2. q. 7.* — 2^o. Quia mendicitas Clerici in dedecus redundaret Ecclesiæ cui mancipatus est, et in ejus sortem seu hæreditatem vocatus fuit *c. 16. de Præb. et can. Cleros dist. 21. Cfr. Fagnanus comm. in cit. c. 16. de Præb.* ubi hanc materiam fusiori calamo evolvit. Excipitur casus quo per falsa instrumenta Clericus Episcopum decepit. Quod si inter Episcopum et Clericum ordinandum absque titulo intercessit tractatus et pactio, qua Clericus promittit se pro sua sustentatione molestias non fore allaturum Episcopo, ex *c. 45. de Simonia*, ordinans Episcopus suspenditur per tres annos a potestate ordinum conferendorum. Hæc suspensio renovatur et S. Sedi reservatur expresse in Const. cit. Pii IX. Apostolicæ Sedis sub n. II^o. ubi legitur: 'Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta'. In num. autem IV. ejusdem Const. in art. de suspensionibus legitur: 'Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso jure incurrit qui, excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo'.

55. Quartum vitium in ordinatione verificatur si extra legitima tempora conferatur. Qua in re Ecclesia sollicita fuit ut uniformitas servaretur. Episcopus absque privilegio ordines conferens extra tempora, plectitur suspensione ferendæ sententiæ ad tempus a collatione Ordinum quos extra legitima tempora contulit. *c. 2. h. t. in fn. et cap. ult. eod.* Hinc reliquos potest conferre.

56. Tandem 5^o. loco delinquere potest Episcopus si non servet absque legitima causa temporum interstitia. Verum hac in re notandum est nullam pœnam a jure determinari, nisi quoad casum in quo uno eodemque die duo majores ordines eidem conferantur; quo in casu *arg. c. 13. §. fn. h. t.* Episcopus suspendi potest a collatione utriusque ordinis, ita ut dispensatione S. Sedis indigeat. Satis de Episcopo ordinante.

57. In iisdem capitibus in quibus ordinans, potest delinquere etiam ordinatus. Sciendum autem est in re nostra peculiarem edidisse Const. Pium II. quæ incipit '*Cum ex Sacrorum*' et fuit edita die 17. Nov. an. 1461.; deinde non pauca sapientissime fuisse a Conc.

Tridentino præfinita. Quæ cum non viderentur sufficere ad evitandos abusos, Sixtus V. in sua Const. '*Sanctum et Salutare*' rigorem auxit et pœnas ampliavit contra delinquentes. Rigorem vero hunc temperavit Clemens VIII. in Const. '*Romanum Pontificem*' ac disciplinam restituit in pristinam formam juxta Pianam Constitutionem et Tridentini dispositionem. Considerari insuper debent ea quæ statuit Innoc. XII. in cit. Const. '*Speculatores domus Israel*'. Quare in exponendis pœnis male ordinatorum de Sixti V. Constitutione silemus.

58. 1^o. Ordinatus ante legitimam ætatem in majoribus, spectato jure antiquo expresso in *c. 14. h. t.* incurrerebat suspensionem ferendæ sententiæ; ex dispositione autem Const. Pii II. hanc suspensionem incurrat ipso facto. Et si scienter in ordine suscepto ministraverit, efficitur irregularis. Verum de hac suspensione latæ sententiæ mentionem non facit cit. Const. Apostolicæ Sedis. Quare ea abrogata censenda est, et remanet pœna *c. 14. h. t.*

59. 2^o. Secundum vitium est si Clericus absque licentia sui Episcopi et absque literis dimissorialibus ab alieno Episcopo Ordines suscipiat. Quo in casu si scienter fecerit, suspenditur ipso facto ab exercitio recepti Ordinis quandiu proprio Ordinario expedire videatur. *c. 2. h. t. in 6^o. et sess. 23. c. 8. de Ref. in Conc. Tridentino.* Ita sentiunt *Reiffenstuel h. t. §. VII. n. 185. et Avancini autor Commentarii romani Constitutionis Apostolicæ Sedis n. 50. lit. c.* in eodem Commentario. Verum hæc sententia mihi certa esse non videtur ita ut hodierno jure dici possit vigere prædictam pœnam suspensionis contra ordinatum ob sequentes rationes: 1^o. Quia de hac censura non loquitur Constitutio *Apostolicæ Sedis*; adeoque tota quæstio reducitur ad Concilii Tridentini decretum *sess. 23. cap. 8.* Jam vero Tridentini patres utique legem generalem statuunt, ut quisque a proprio Episcopo ordinetur; at deinde novam et distinctam dispositionem constituunt, et novam conficiunt periodum de illis qui vi privilegii vel rescripti ordinantur ab alieno Episcopo, cum litteris testimonialibus Episcopi proprii. Deinde autem decernunt pœnam suspensionis per verba: '*Si secus fiat etc.*' Quo posito dubitari potest utrum hoc incisum '*Si secus fiat etc.*' referatur ad secundam dispositionem et periodum '*Quod si quis etc.*' tantummodo, vel etiam referatur ad legem generalem prius positam '*Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur.*' Et hoc dubium majus evadit ex subjecta materia. Agitur enim